Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25888
Copyright: Admont, Benediktinerstift

filium. Et audierunt vicini et cognati eius quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa: et congratulabantur ei. Et factum est in die octauo: venerunt circumcidere puerum et uocabant eum nomine patris eius zachariam. Et respondens mater eius et dixit. Non sic sed uocabitur iohannes. Et dixerunt ad illam. Quia nemo est in cognatione tua: qui uocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius: quem uellet uocari eum. Et postulans pugillarem: scripsit dicens. Iohannes est nomen eius: Et mirati sunt omnes. Apertum est autem illico os eius et lingua eius: loquebatur benedicens deum. Et factus est timor super omnes uicinos eorum: et super omnia montana iudee diuulgabantur omnia uerba hec. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes. Quid putas puer iste erit. Etenim manus domini erat cum illo. Et zacharias pater eius impletus est spiritu sancto: et prophetauit dicens. Benedictus dominus deus israel: quia uisitauit et fecit redemptionem plebis suae

Offertorium Iustus ut palma florebit sicut cedrus quae in libano est multiplicabitur

Secreta Ipsa domine munera oblata sanctificans altaria circumdamus illius natiuitatem honore debito celebrantes. qui saluator mundi. et creator affuturum. et adesse monstrauit dominum nostrum

Communio Tu puer propheta altissimi uocaberis praibis enim ante faciem domini parare uias eius

Complenda Illumina ecclesiam tuam deus beati iohannis baptiste generatione letificam: per quem sacre generationis auctorem dominum

Petri et pauli

Nunc scio uere quia misit dominus angelum suum et eripuit me de manu herodis et de omni expectatione plebis iudeorum

Ps Domine probasti me et cognouisti me tu cognouisti sessionem meam

Oratio Deus qui hodiernam diem apostolorum tuorum petri et pauli martyrio consecrasti. da ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praecepta: per quos religionis sumpsit exordium. Qd